

sublatis aperire dolis, simul hoc animo hauri.
 me natam nulli veterum sociare procorum
 fas erat, idque omnes divique hominesque canebant.
 victus amore tui, cognato sanguine victus
 coniugis et maestae lacrimis, vincla omnia rupi: 30
 promissam eripui genero, arma impia sumpsi.
 ex illo qui me casus, quae Turne sequantur
 bella vides, quantos primus patiare labores.
 bis magna victi pugna vix urbe tuemur
 spes Italas; recalent nostro Thybrina fluenta 35
 sanguine adhuc campique ingentes ossibus alben-
 quo referor totiens, quae mentem insania mutat?
 si Turno extincto socios sum adscire paratus,
 cur non incolumi potius certamina tollo?
 quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet 40
 Italia, ad mortem si te — fors dicta refutet —
 prodiderim, natam et conubia nostra petentem?
 respice res bello varias; miserere parentis
 longaevi, quem nunc maestum patria Ardea longe
 dividit.' haudquaquam dictis violentia Turni 45
 flectitur, exsuperat magis, aegrescitque medendo.
 ut primum fari potuit, sic incipit ore:
 'quam pro me curam geris, hanc precor optime pro me
 deponas letumque sinas pro laude pacisci:
 et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra 50
 spargimus; et nostro sequitur de volnere sanguis.
 longe illi dea mater erit, quae nube fugacem
 feminea tegat et vanis sese occulat umbris.'

At regina, nova pugnae conterrita sorte,
 flebat et ardentem generum moritura tenebat: 55
 'Turne, per has ego te lacrimas, per si quis Amatae
 tangit honos animum — spes tu nunc una, senectae
 tu requies miserae, decus inperiumque Latini
 te penes, in te omnis domus inclinata recumbit —
 unum oro: desiste manum committere Teucris. 60
 qui te cumque manent isto certamine casus,
 et me, Turne, manent; simul haec invisam relinquam